



ACROPOLIS

Doctrina Christianæ

Sive

Disquisitio Theologica orthodoxa
synodalis,

DE

IUSTITIA FIDELI.

Seu quod idem,

Iustificatione hominis pecca-
toris coram DEO,

*Photinianor. Pontificior. Calvinianor. & VVeige-
lianor. Strophas potissimum monstrans.*

Proposita


IN INSPECTIONE VVEIDENSE

Auctore & Praside

LAURENTIO ANDREÆ,

S S. Th. Licentiato, Pastore & Superatten-
dente VVeidense.

Ad diem 18. Maji, horis locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHAN. GORMANNI, Anno MDCXXV.

Decorative floral border at the top of the page.

Generoso ac Nobilissimo Viro

Dn. SEBASTIANO à Kötteritz

in Kroptevvitz & Sitten/ Serenissimo Electori Saxonia à consiliis, & supremi Consistorii Præsidi gravissimo, spectatissimo.

NEC NON

Ejusdem Protosynedrii Dnn. Assessoribus honoratissimis, Viris Reverendis admodum, Magnificis, Amplissimis, Consultissimis ac celeberrimis,

Dn. MATTHIÆ HOE ab Höeneg in Genstorff/ Comiti Pal. Cæsar. SS. Th. Doctori & Sereniss. Elect. Saxon à consiliis Ecclesiast. & concion, primariis.

Dn. ÆGIDIO STRAUCHIO, SS. Th. Doctori, & Ecclesiæ Dresdensis Pastori, & vicinæ diæceseos Superintendententi.

Dn. LEONHARTO KÖPPELIO, J. U. D. Serenissimi Electoris Saxonæ in Judicio Appellationum Consiliario.

NEC NON

Amplissimo & Clarissimo

Dn. JOHANNI SEUSSIO, Sereniss. Electori Saxon. à Secretis.

Dnn, Patronis, Promotoribus, & Fautoribus suis

Longè maximè


debitâ cum observantiâ & subject.

disquis. hanc theol.

D. D. D.

AUCTOR.





נְשִׁים - יְהוָה

TH. I.



Egalander noster Lutherus, vir ex-
tra omnem ingen[um] aleam constitutus, *Dignitas hujus arti-
culi.*
non minus piè quàm verè dixit Tom. 4.
Jenens. fol. 3. & in comment. Epist. ad
Gal. fol. 10. *Iacente articulo justificationis,*
jacent omnia, itaque summè necessarium
est, ut eum perpetuò inculcemus.

II.

Nec quisquam nobis hoc cum illo fatentibus litem in-
tendet, præsertim cum hic ipse sit *acropolis quasi & propugnaculum*
præcipuum totius doctrinæ Christianæ, quò vel obscuratò, vel adulte-
ratò, vel subversò, impossibile est puritatem doctrinæ in aliis
locis retinere. Salvò autem hoc, corruunt per se omnes ido-
lomania, superstitiones, & quicquid est corruptelarum in omni-
bus ferè articulis seu locis aliis, fatente Chemnitio parte 2. Ll. e-
dit. in fol. p. 216. *Cur acropo-
lis vocetur.*

III.

Quò major itaque hujus ipsius, quem præ manibus habe-
mus, articuli cum *dignitas* est, tum *utilitas* eò diligentior impendi
debet opera; ut ab omnibus corruptelis vindicetur, vindicatus,
ad posteros incorruptus propagetur.

IV.

Nam jam inde à condito fermè mundo *α'ωονδ* iste
noster hostis diabolus nullum non movit lapidem, quo articuli
hujus *ορθοδοξία* singulis temporibus per hæreticos variè cor-
rumpet: imò cessit res ex sententiâ, cum plures semper sint in-
venti, qui hanc doctrinam obscuratam magis, quàm illustratam
iverint, ut Pighius homo Pontificius, conscientiam convictus,



ipfemet de fuâ lernâ rasâ fateri cogitur, & Cadmæi ejus fratres
Photiniani indies magis ac magis reapse ostentant.

V.

Operæ itaque pretium nos facturos putavi, si eò ipsò dispu-
tationes nostras synodales auspiciemur. Eo magis, cum modum,
quo in Christi & justitiæ nobis partæ possessionem mittimur, &
medium, quò meriti & satisfactionis Mediatoris participes red-
dimur, exactè nobis monstret.

VI.

Votum.

Quod dum facimus, horum nostrorum conatum dux &
gubernator esto, æterni Patris, æterne Fili per æternum Spiritum
Sanctum, benignissimaq; tuâ voluntate, clementissimâ ope & sa-
cratissima inspiratione concedas, ex diviniſſimo verbo tuo, ni-
hil nisi gloriam tuam & animarum nostrarum salutem operari.

VII.

Ac ut, quod me facturum receperam, vela altiùs extendam,
forte non aberravero, si rei priùs nomen excutiam, priusquam
quò intendi, perveniam. Duæ namque sunt ideæ veritatis; no-
mina & res; Scholasticis *Quid nominis, & Quid rei*, appellatæ.

VIII.

Nominis tum *παρωνυμία*, tum *ὀμωνυμία*, tum etiam *συνωνυ-
μία* adducenda est, his enim tribus omnia, quæ de nomine a-
liquo cognoscenda sunt, comprehenduntur.

IX.

*Belhar, l. 2.
de justif. c.
3. Cost. in
Enchir. c. 6.
edit. Colon.
anno 612.
p. 218.
Etymon.*

Iustificatio descendit à *justificare*; quod vel ipsis fatentibus
Jesuitis, à profanis scriptoribus non legitur usurpatum. ; *Iustifica-
re* fluit à *justitiâ*, quam quidam à præpositione (juxta) derivant,
quòd juxta regulam incedat, sed verior videtur Etymologia à
vocali jus, quod à jubendo est. Nam quodcunq; leges & Magistra-
tus jubent, id jus est. Flac. part. 1. clav. p. 488. Zanch. l. 4. de Nat. D,
c. 5. q. 1.

X.

Iustitia Græcis dicitur *δικαιοσύνη*, à *δικαιος* justus, quam vocem
Aristoteles 5. Eth. Nic. c. 7. ferè ad finem deducit à *δίχα* bipar-
titò, ut *δικαιος* sit quasi *δίχαιος*, & *δικαιοσύνη* quasi *δίχαιοσύνη*, quæ
notatio optimè convenit justitiæ, quam Ethici distributivam
vocant. Derivationem autem Flacii: (quâ dicto loco putat
vocem

vocem *δικαιοσύνη* non incōmodè ab Heb. *צדק* abjectâ per *אֲצִי-
פֶּסֶט* priori syllabâ deduci posse) quia coacta est, non omnimo-
do probandam, nihilominus tamen Aristotelicam huic præfe-
rendam esse censet Dn. D. Meisn. part. 2. sob. Phil. f. 1. q. 27. p. 304.

XI.

Apud Hebræos justitia dicitur *צדק* vel *צדקה* à rad. *צדק*,
LXX. reddiderunt *δικαιοσύνη*, *δικαιοσύνη*, *δικαιοσύνη* & *δίκαιο*, quod nul-
libi pro justitiæ infusione usurpatum legitur, ut vult Bellarminus
& Costerus l. 1. dd. Nam in *Kal* notat justum esse positivè, ut Psal.
19. 10. 143. 2. Job. 9. 20. In *Piel* notat tribuere sibi vel alteri justi-
tiam Job. 32. 2. Jer. 3. 11. In *Hiphil* verò, quod hujus proprie est loci si-
gnificationem forenssem obtinet, idemq; est, quod in judicio absolvere
& justum pronunciare, ut à nostris dudum id firmis probatum
est argumentorum momentis. In *Hitphael* significat seipsum justi-
ficare, plura qui desiderat, consulat Lexic. Heb. Pagnini p. 2299.

XII.

Jesuita Bellarminus l. 1. de justif. c. 1. & 2. l. c. 3. etiam qua-
tuor recenset acceptiones justificationis, ibiq; ringitur gruniens,
quod Lutherani tantum quartam (*nim. quando pro declaratio-
ne justitiæ, modo quodam forensi sumitur*) in controversiâ de
justificatione maxime propriam esse doceant.

XIII.

Sed moveat quodcumque velit, constantissimè tamen asse-
rimus, nos Justificationis voculam hoc in negotio non *ἐπιτιμῶς*
pro imbuere justitiâ positivâ seu inhærente, nec *ἐνεργητικῶς* pro o-
perari actiones justas seu justitiam, nec *σημαίνουσαν* pro declarare
seu manifestare fidem justificantem, sed *παθητικῶς* tantum, pro eo
quod est ob Christi meritum à peccatis absolvi, pro justo cense-
ri, & in filium Dei adoptari, accipere.

XIV.

Justificare igitur in hac significatione tria complectitur.
1. *accusatum absolvere ab intentato crimine, ne judicialiter
condemnetur.* 2. *pro justo censere, pronunciare, recipere &
acceptare.* 3. *ita justificatis tribuere laudem, testimonium &
premia, quæ justis & innocentibus debentur*

A 3

XV. Nota-

Derivatio
Flacii co-
acta est.

Jesuita si-
gnificationē
forenssem
mordicus
negant.

Chemn. l. d.
Gerh. tom.
3 à s. 4. ad
9. Meisn.
dec. 3.
Anth. à th.
27. ad 29.

Justificatio-
nis vocula
h. l. tantum
sumitur
παθητικῶς.

Justificare
tria com-
plectitur.



XV.

Synonima
τὸ justify
ficare.

Notatione & significatione jam diversâ præmissis, facile est ostendere ἰοδωαμῆντα τὸ justify. Σωωύμω enim Spiritus S. in Sac. Script. circumscribit τὸ justify & quidem vocabulis & pbrasis forensibus: ut remittere peccata Joh. 20. 23. Rom. 3. 25. Matth. 9. 2.1. Joh. 1. 9. 1. Joh. 2. 12. condonare Col. 2. 13. solvere Matth. 16, 19. & 18. 18. non venire in iudicium, non judicari, non condemnari Joh. 3. 8. 16. & 17. c. 5. 24. imputare justitiam, fidem imputare ad justitiam Rom. 4. 3. & 5. reconciliati 2. Cor. 5. 19. Rom. 5. 10. salvari, salvum fieri Matth. 1. 21. Act. 15. 21. Act. 15. 11. Rom. 11. 5. Eph. 2. 8. 2. Tim. 1. 9.

XVI.

Vocab. sal-
vat. est
homonymum.

Ubi notandum vocabulum *salvationis*, notare vel fruitionem gloriæ, vel fruitionem gratiæ. Priori respectu distingui quidem solet à justificationes vocabulo, sed posteriori planè cum illo coincidit. *Quæ enim definitione conveniunt, illa reapse non differunt.* Seu quorum eadem causæ sunt, & in scriptura habentur pro ἰοδωαμῆσιν, illa realiter non differunt, quod contra Pontificios, & quosdam Calvinianorum, inprimis Johannem Piscatorem & Marpurgens. exulantes apprimè observandum.

XVII.

Alph. Sal-
meron Jes.
addit ter-
tiam Com-
ment. p. 342
quæ nõ nisi
post hanc
sitam justis
contingat.

Neque est quod vanâ quemquam in hoc etiam Jesuitæ stipulâ cludant, cum excompositione verbum justifyare æstimant, contententes *in hoc negotio διναῖσιν significare justitiæ qualitates infundere, sicut calefacere est calidum facere, habereq; nomen à termino ad quem tenditur*, hoc est, à formâ vel qualitate, quæ requiritur. Fortassis, ut eò meliùs duplicem quam fingunt justitiam primam & secundam tueri possint. Bellarm. l. 1. de justif. c. 1. l. 2. c. 3. Cost. in Enchir. l. d.

XVIII.

In quolibet
motu est
recessus à
termino d
quo ad ter-
minum ad
quem.

Quæ faces ex lacunis Scholasticorum hauserunt, qui justificationem dicunt esse mutationem illam, quâ homo ex statu peccati transfertur in statum gratiæ, hoc est, mutatur ab esse peccati, ad non esse peccati; sicut in quolibet motu est recessus à termino à quo ad terminum ad quem: Sic mutatio, quâ quis ex
xgroto



ægroto fit sanus, dicitur sanatio; & quâ ex frigido calidus calefactio. Thom. Aquin. in S. p. 2. q. 113. a. 1. 2. & 6. Greg. de Valent. Tom. 2. dif. 8. q. 5. p. 5. f. 1357. Becan. Tom. 2. tract. 2. c. 2.

XIX.

Interim miramur *Osiandrum* in scholis Lutheranorum, aliâs educatum, quod & ipse hujus verbi significationem obscurare fuerit ausus, contentendo, *coram DEO, essentialis sua justitia, quâ in sese DEUS justus est, in habitatione nos justificari.* Hoc pigmentum refutant prolixè August. l. 3. de Spiritu & literâ ad Marcel. inquit: *Non propterea justitia DEI dicitur, quoniam DEUS justus est, sed quia homini ex DEO est.* Sive ut idem alibi; *Justitia DEI est, non quâ DEUS justus est, sed quâ induit hominem cum justificat impium.* Calvin. prolixè satis à sect. 5. ad 13. l. 3. instit. c. 51. quò lectorem remittere volumus.

Fuit quondam Professor L. Heb. in Acad. Regiomontana.

XX.

Osiandristis non inconformes sunt Weigeliani, quando communionem nostri cum Christo & adorandâ Trinitate statuunt esse essentialem, quâ essentia carnis nostra, cum essentia carnis Christi, & cum essentia DEI corporaliter conjungatur. Ita enim Weigelius Dialogo suo de Christian. p. 11 inquit: *Ach Welch ein Lieb hat uns Gott der Vater erzeiget/daß wir Menschen sollen mit ihm $\sigma\omega\mu\alpha\tau\eta\kappa\omega\varsigma$ leibhaftig vereiniget werden durch seinen Sohn Jesum.* Et quod ($\tau\omicron\sigma\omega\mu\alpha\tau\eta\kappa\omega\varsigma$) non objective (quod quidam putant) accipiant, sed subjective, patet ex pagina subsequente, ubi in hæc prorumpit verba: *Wir müssen alle miteinander nicht mit Gott allein nach dem Geist wesentlich vereintget werden / sondern auch nach dem Fleisch vnd Blut leibhaftig etc.* Hic enim de DEO quoque loquitur, in quem, cum Spiritus sit Joh. 4. 24. 2. Cor. 3. 17. $\sigma\omega\mu\alpha$ non cadit

XXI.

Cum ergò Weigel. suam justitiam in hæc cum Christo communionem collocent (quemadmodum videre est ex 3. p. post. Weig. p. 16. ubi dicit: *Die unio essentialis muß es thun/ daß wir ihn geistlich*

Weigeliani suam justitiam in communionem essentiali cum Christo collocant.

lich vnd leiblich in vns haben/ wo bleibestu mit deiner erdichten im-
pucativa &c.) quis hos istis esse melioris effabitur?

XXII.

Vocis distinctione excusâ, accessum facimus ad rei ipsius
explicationem, quam, quod non it inficias Bellarminus c. 2.
l. i. de justif. per causas explicare commodè possumus.

XXIII.

Canon
Theol.

Quandoquidem autem quodlibet dogma in Scriptura S.
propriam ac nativam habet sedem, ex quâ judicari debeat,
Flac. p. 2. tract. 6. p. 320. non lavabimus laterem, si illam prius
introsperimus, & exinde qualem qualem dein definitionem
extruxerimus.

XXIV.

Jam verò extra controversiam est Apostolum *ὡς ἐν οὐνό-
ῳ* Rom. 3 & 4. integrum hoc argumentum exactissimè descri-
bere, haut tamen paralelis S. Scripturæ locis rejectis. Ex quibus
A. C. nostra art. 4. ita concludit: *Docent nostra Ecclesia, quod
homines non possint justificari coram D E O propriis viribus,
meritis aut operibus: sed gratis justificentur propter fidem per
Christum: cum credunt se in gratiam recipi, & peccata re-
mitteri propter Christum, qui suâ morte pro peccatis satisfecit.
Hanc fidem imputat D E U S pro justitiâ coram ipso.*

XXV.

Definitionem ex Sacris dare hanc possumus, ut nostri du-
dum monstrârunt Dnn. Præceptores. *Justificatio est actio to-
tius Sacrosanctæ Trinitatis ex merâ gratiâ Rom. 3. & 4. & mi-
sericordia Luc. 1. Tit. 1. propter Christi Mediatoris obedienti-
am & satisfactionem, homini peccatori verè in Christum
Redemptorem credenti Rom. 3. Gal 2. 1. Tim. 1. gratis, sine operi-
bus, peccata remittentis & ad vitam æternam eum acceptan-
tis. Rom. 3. & 4. Gal. 2. 1. Tim. 1. Tit. 3.*

XXVI.

Ut cujusvis rei cause quatuor sunt; ita etiam justificationis
vel sunt externe efficiens & finis; vel interna, materia & forma.

27. Bel-

XXVII.

Bellarminus dicit l. 1. de justif. c. 2. causam efficientem aliam esse primariam; aliam efficientem per modum meriti: aliam per modum instrumenti. Et rectè dicit. Nam ipsorum etiam Philosophorum consensu *causae instrumentales ad efficientem rectè referuntur.*

XXVIII.

Causa efficiens primaria vel consideratur in genere vel in specie, quatenus impulsiva dicitur. *Justif. causa efficiens Primaria.*

XXIX.

Κύριον αἴτιον sive primaria causa justificationis in genere considerata est solus DEUS, unus essentiâ, personis trinus. *Canon Theol.* Opera enim Trinitatis ad extra sunt indivisa, servato tamen ordine & discrimine personarum: inde Patri miseratio: Filio mediatio: Spiritui S. tum fidei operatio, tum mentis renovatio sive sanctificatio tribuitur. Rom. 8. 33. Joh. 3. 16. Esa. 47. 25. Gal. 2. 20. Rom. 5. 8. 1 Cor. 6. 11.

XXX.

Impulsiva causa est duplex: interior aliàs *μεγνυσμένη*, & exterior. *Impulsiva duplex.*

XXXI.

Interior est sola DEI χάρις, per quam ut Apostolus docet Rom. 3. 24. non intelligenda est doctrina legis gratuito data. *Interior.* (ut Pelagius olim hunc contextum depravabat) neq; gratuita DEI dona in nobis, quibus justii coram DEO constituamur, ut volunt Pontificii, Bellarm. l. 1. de grat. & lib. arbit. c. 1. Greg. de Valent. Tom. 2. dis. 6. q. 3. & Cost. in Enchir. *Cn. D Balduin. vide pluribus in Comm. Ep. ad Rom. f. 217.*

XXXII.

Sed significat gratia in hoc articulo gratuitum DEI favorem, misericordiam ac dilectionem, quâ DEUS ad miserationem generis humani permotus, omnes per filium suum redemit, omnibusque in eundem credentibus peccata remittit, & vitam æternam donat. Consule Chemn. part. 2. LL. in fol. p. 258. Meis. dis. 24. dec. 3. anth. q. 4. *Gratia significat gratuitum DEI favorem in hoc articulo.*

B

33. Hanc



XXXIII.

Hanc caus-
sam dupli-
citer impu-
gnant Pho-
tiniani.

Hanc causam dupliciter impugnant Photiniani. I. dum statuunt, misericordiam DEI, quatenus justificationis actum ingreditur, non esse naturalem sive essentialem proprietatem in DEO, sed tantum actum secundum sive contingens effectum liberae voluntatis. Socin. part. I. de Christo c. I. p. 9. verum nos misericordiam, quemadmodum etiam reliqua *ἐνεργητικά* DEI attributa consideramus, vel intra simplicissimum essentiae divinae complexum, ubi cum ipsa essentia est *ταυτόν*: vel ad extra, quatenus creaturarum respectu exercetur & foras progreditur: Ibi actum primum notat, & non dependet à voluntatis libertate; hic vero secundum notat, dependentem à libera voluntate.

XXXIV.

Calv. l. 3.
inst. c. 22.
s. 11. c. 13.
Pet. Mart.
in Samuel.
& in ep. ad
Rom.

II. Dum gratiam sive misericordiam DEI faciunt absolutam, docentes *DEUM absoluto suo dominio peccata dimittere liberè absq; ulla interveniente satisfactione*. Quam suam sententiam statuminare videntur Calvinianorum absoluto decreto. Etenim enim audacter planè scribit Musculus in loco de justific. *DEUM judicaria justitia ita obstrictum non esse, ut non liceat ipsi quorum vult misereri, & nos à peccatis absolvere*. Eodem modo Thom. Aquin DEUS, inquit. *potest sine satisfactione remittere peccata, cum non habeat aliquem superiorem*. p. 3. q. 46, art. 3. Gab. Biel. 3. sent. dict. 20. q. 11. Tartar. 4. sent. dict. 15. Bell. l. 2. de grat. & lib. arr. c. 9. idem planè sentiunt & scribunt.

XXXV.

Veig mor-
tem Chri-
sti exempli
saltem &
mortifica-
tionis no-
mine com-
mendant.

Planè etiam & hic Photinianizant Weigeliani, dum *passionem & mortem Christi non satisfactionis nomine, sed, alio commendant & proponunt*. Putant namque quasi mortis Christi finis primarius esset hic, *ut in mortificandâ carne nobis exemplum quoddam relinqueret*, ut videre est ex Weig. dial. de Christian. p. 41. & seqq. & part. 3. boft. p. 15. 16. Sed quod redemptio à malo culpæ & poenæ parta sit per obedientiam Christi &

& activam & passivam, tam clarè probant Es. 53. & Paulus 2. Cor
5. ut plura addere non sit opus.

XXXVI.

Causa impulsiva exterior est *Christus* qui meritò & obedi- Exterior.
entiâ suâ justificationem nobis adquisivit. Rom. 5. 9. *justificati*
sumus in sanguine ipsius 19. *per unius obedientiam justis con-*
stituuntur multi. 1. Cor. 5. 1. *Reconciliati sumus per ipsum*
Christum. Joh. 1. 29. *Ecce agnus DEI qui tollit peccata mundi.*

XXXVII.

Mirè etiam & hanc & merè enervant *Photiniani, Iesuitæ,* impugnans
Calviniani & cum his quoque *Veigeliani.* hanc Phot.

XXXVIII.

Photiniani id moluntur *tum ratione personæ;* Deitatem Chri-
sti plusquam diabolicè negando. Cat. Rac. p. 38. & 39. hæc habet Photinians
verba: *Die Schrift nennet den Sohn einen Gott/ nicht als er der* et ratione
wahre natürliche Gott were / der beyde in Himmel vnd auff Erden personæ.
also herrschet/ das er keinem höhern vber sich habe / sondern wegen
der hohen macht vnd gewalt / die er von demselben einigen wahren
Gott hat &c.

XXXIX.

Quam ratione officii, satisfactionem Christi pro peccatis no-
stris factam blasphemè eludendo Cat. Rac. p. 160. 264. 274. & Et ratione
Socin. part. 1. de Christo c. 1. his verbis proponit: *Ego censeo* officii.
Orthodoxam sententiam esse arbitror, Jesum Christum ideò
Servatorem nostrum esse, quia salutis aeternæ viam nobis an-
nunciavit, confirmavit, & in suâ ipsius personâ tum vite
exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifestè ostenderit. Di-
vina autem justitia, per quam peccatores damnari meremur
pro peccatis nostris, neq; illum satisfecisse, neq; ut satisfaceret
opus fuisse affirmo.

XL.

Iesuitæ variè hic errant 1. *meritum Christi non habent*

B 2

pro

Jesuita
varie hic
errant.

pro causa efficiente nostra justificationis, sed tantum pro instrumento. Bonaventura enim expressè scribit: *Passioni Christi propriè non potest tribui causalitas justificationis. Ad nullum enim genus causarum pertinet, habet enim aliquam proprietatem causæ per modum meriti intervenientis, quod habet rationem dispositionis & reducitur ad causam materialem.* Modestior aliquantò est Thom. Aquin scribens: *Christum esse causam justificationis per ministerium, & tantum instrumentaliter operari salutem humanam, quod ipsum suo adprobat calculo Bellarm. ll. d.*

XLI.

II. *B. Mariam in opere satisfactionis Christo ejusq; merito merita sanctorum assuunt.* In libro quodam Pontific. quod *Mariale* nominant, per Martin. Sirncium anno 1439, Argentorati publici juris factum, lib. I. c. 5 p. 13. hæc leguntur: *Ad ultimum Dominus fuit cum eâ (Mariâ) & ipsa cum Domino, in eodem labore redemptionis &c. l. 2. part. 1. caus. 21. Sape quos filii justitia damnat, matris misericordia liberat, lb. caus. 24. Si Maria pro nobis quis contra nos? & si ipsa est, quæ justificat, quis est, qui condemnat.* Gab. Biel. sup. Can. Missæ lect. 29. Nos inquit, ad mediatores sanctos, eorumq; auxilia confugere debemus, ac veneratione debitâ eos semper implorare, ut salvetur eorum meritis atq; votis. Id. 31 sent. dist. 19. concl. 5. licet Christi, ait, passio sit principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni & gloria: nunquam tamen est sola, & totalis causa meritoria. Et Pet. de Palude 4. sent. dist. 20. q. 3 pro parvulis sufficit meritum Christi quia non possunt mereri: sed adultis non sufficit meritum Christi, cum baptismo, sed tenentur addere meritum proprium.

XLII.

III. *Christum secundum naturam tantum unam nostrum Mediatorem esse adfirmant.* Bellarm. l. 5. de Christo c. 1. totum

in-
ri-
ul-
ro-
ha-
m.
esse
en-
bat

um quidem Christum concedit esse principium Quod media-
tionis, principium autem Quosolam esse humanitatem, quod
ei suggestit Lombardus, quem lib. 3. sent. dist. 19. penitus habet
consentientem. Quod exinde etiā procul dubio haurit Stancarus
in Apol. cont Osiand expressè scribens: *Christus secundum hu-
manam naturam pro nobis satisfecit: non autem secundum
divinam.* Quanti enim Lombardum fecerit, patet ex Apol. contra
Tigurin p. 682. ubi in hæc verba erumpit: *Plus valet unus Pe-
terus Lombardus, quàm centum Lutberi, ducenti Melanchi-
bones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quin-
genti Calvinii: omnes si in mortario contunderentur, non ex-
primeretur una uncia vera Theologia.*

XLIII.

IV. *Meritum congrui & condigni effingunt.* Meritum
condigni seu de condigno, Scholastici vocant *actum elicitum à
voluntate, vel liberè procedentem ad pramium, alicui securi-
dum debitum justitia retribuendum.* Meritum congrui seu de
congruo vocant *actum liberè elicitum, acceptatum ad aliquid
retribuendum non ex debito justitia, sed ex solâ acceptantis li-
beralitate.* Gab. Biel. dict. 17. q. uni art. 1. Et in expos. Can. 1. 59. Gerf.
p. 4. in descript. term. ad theol. util. Alex. de Ales p. 3. q. 69. memb. 5.
art. 2.

Meritum
congrui &
condigni.

XLIV.

V. *Christum aliquid suo merito sibi promeruisse dicunt.*
Bell. 15. de Christo c. 9. Lomb. 3. sent. dist. 18. Thom. Aquin. part. 2.
Sum. q. 49. art. 6.

XLV.

VI. *Valorem meriti Christi soli peccato originali con-
cedunt, à quibus tamen divortium facit Bellarminus cum aliis qui-
busdam.*

XLVI.

Calviniani in hoc fallunt & falluntur, dum 1. *Christi sa-
tisfactionem non admodum necessariam fuisse blaterant, ut
Calvinus inquit. cum de Christi merito agitur, non statuitur
in eo principium: sed conscendimus ad DEI ordinationem,
que prima causa est,* l. 2. instit. c. 17. 2. *meritum Christi par-
ticolare*

Calviniani

viculare reddunt, simpliciter ad solos Electos restringentes,
quomocunque etiam conqueratur de injuriâ Pareus in Ireni-
co c. 24. p. 142. 143. ed. in fol. Imprimis verò Piscator sapien-
do nimium desipit inter suos socios, quòd Christum sola passivâ
obedienciâ pro nobis satisfecisse affirmare ausit, quem peculiari
libro Eckhar. & Mentzer. in aliquot disput. refutavit?

XLVII.

*Veigelia-
ni collu-
dunt cum
Calvinianis*

Quod tandem *VVeigelianos* attinet; ovum ovo tam simile
non est, quàm Calvinianis *Weigeliani redemptionem Christi*
quoq; particularem constituentes, & ad paucos solum restringentes. Ita enim Weigel. p. 1. Postil. p. III. inquit: Christus der
Breutigam hat niemands erlöset / als seinem Leib/die gemeine oder
die heilige Kirch ist der Leib Christi &c.

XLVIII.

Contra hanc haresin argumentamur dupliciter. 1. *Qui-*
cunque satisfecit pro omni peccatore, omniq; peccato, isse om-
nes quoque omnino homines redemit. Christus satisfecit pro
omni peccatore Matth. 18. 11. Luc. 19. 10. proq; omni peccato
Joh. 1. 29. 1. Johan. 1. 7. c. 2. 2. E. quoque omnes homines redemit,
Consequentia patet exinde, cum hominum nemo sit, qui sit abs-
que peccato, quod Sac. Script. passim inculcat.

XLIX.

2. Quicumque serio vult omnium hominum salutem, serioq;
omnes ad se invitat, & graviter venire recusantibus succenset, is
omnes suâ morte redemit. At Christus serio vult omnium ho-
minum salutem 1. Tim. 2. 4. serioq; omnes ad se invitat Matth. 11.
25 & graviter venire recusantibus succenset. Es. 65. 11. Jer. 7. 13. 14. E.

L.

*Causa in-
strumenta-
lis duplex.*

Causa ὀργανικὴ seu instrumentalis justificationis duplex est:
consideratur enim *vel respectu DEI* justificantis, *vel respectu hominum*
justificandorum. *Respectu DEI* ὀργανικὴ dicitur, hoc est, *gratiam DEI*
offerens & obsignans. estq; verbum, idq; vel ἀγγελον, ubi non quælibet,
sed tantum ea verbi divini pars, quæ est Evangelii specificè sic
dicti propria, attenditur, aliquoties in Scriptura **AUDITUS** vo-
cata, Es. 53. Rom. 10. 13. *vel ὀργανον* puta **Sacramenta.**

LI. Caus.

LI.

Causæ huic instrumentali priori hant levem impurita-
 tis maculam aspergunt tum Calviniani, tum VVeigeliani & Pontifi-
 cii. E. Calvinianis, eorum principibus Calvinus inquit l. 4. instit.
 cap. 16. §. 19. *In multorum vocatione DEUS usus est interio-
 ri modo, quos Spiritus Sancti illuminatione nullâ intercedente
 predicatione verâ sui cognitione donavit.* Cum quo faciunt
 Söhnius in Exeg. A. C. p. 854. edit. Herb. anno 91. *Fidem, inquit,
 infantem absq; verbi ministerio Spiritum S. immediatè ac-
 cendere.* &c. Beza 2. part. resp. ad Coll. Mompel. p. 115

Impugnant
 quog; hanc
 Calvin.
 VVeigel. &
 Pontif.

Calvin.

LII.

Eadem fermè emblemata habent Weigeliani. I. dicunt
*cor abstrahendum esse à Sacramentis, tanquam visibilibus &
 sensibilibus elementis, si quis velit salvari, eò magis cum re-
 gnum DEI non consistat in rebus externis,* inquit part. 2. Phil.
 myst. p. 184. II. *baptismi necessitatem negant.* Ita enim
 part. 1. p. 57. Post. inquit: *Ein grosse verjrrung macht der falsche Pro-
 phet allhie/in dem er lehret/die Wassertauff wasch die Erbsünde/oder
 wircke dem Glauben.* III. *blasphemè dicunt neque fidem neq;
 salutem è sacra coenâ profluere.* part. 2. post. p. 130. Ut taceã. quod
 ministerio verbi omnem cum Calvinianis adimant efficaciam,
 & suos econtra auditores 1. *ad verbum internum naturale.* 2.
divinam revelationem. 3. *Philosophiam cœlestem &* 4. *An-
 gelorũ colloquia remittant,* qui egregii flores colligi possunt in
 Post. passim, It. in dialog. de Christ. p. 24. 52. 53. In güldenen
 griff. c. 1. In *ἡρώσιον αὐτῶν* part. 2. p. 40. Theoph. Tom. 1. p. 318.
 Tom. 4. p. 354. &c.

VVeigel.

LIII.

Pontificii somniant 1. *non auditum Evangelii solum, sed &
 observationem legis esse potentiam DEI ad salutem.* 2. *Sacra-
 menta conferre gratiam & remissionem peccatorum ex opere
 operato.* Concil. Trid. Sess. 7. Can. 8. 2. part. exam. Chemn.
 pag. 41.

Pontificii.

LIV. Re-

Fides con-
tinet tres
actus.

Respectu hominum ἀνημιῖν est, hoc est, gratiam DEI & justitiam seu meritum Christi apprehendens, & illa est Fides, Heb. אֱמוּנָה à rad פֶּן hoc est, firmum & stabilitum esse. & ob id definitur *notitia verbi divini, assensio & certa cordis fiducia in Christum Mediatorem.* Non autem in se absolutè, quatenus est qualitas justificat, sed relatè, quatenus nimirum apprehendit verà fiducià Christum: consideramus siquidem justificationem etiam hic, non prout in qualitate est predicamento, sed prout est in relatione.

LV.

Dicimus verò SOLAM fidem justificare; non ut reliquas justificationis causas concurrentes, puta Gratiam DEI, meritum Christi, ministerium verbi & Sacramentorum excludamus, sed ut opera à justificatione removenda esse doceamus, non ne sint, sed ne vim aut virtutem justificandi ὀλιμηθῶν vel μερικῶν obtineāt, vel quod idem, opera non ab actu presentia, sed à communicatione efficientie abesse indicemus.

LVI.

Pontificii
nec hic qui-
escunt.

Ne verò & hoc salvum relinquant Pontificii, arroduct i. manes beatissimi Lutheri, quasi Apostoli mentem invertendo vocabulam SOLA addiderit (Bec. Tom. 1. Opus. 226. Bel. 1. de just. c. 12 Tann imprimis qui in Anat. A. C. Lutherum hic Bibliomastigem, seu sacrilegum s. scripturae falsarium vocat p. 7.) quibus licet concedamus vocabulum SOLA αὐτολεξεί in Paulinis scriptis minimè reperiri, tamen rem inibi propterea non haberi est id quod pernegamus. Paulus enim scribit Rom. 3. 28. justificari hominem χωρὶς ἔργων νόμου, hoc est, absque operibus legis θεός λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων. Rom. 4. 6. Et in Epist. ad Galat. 2. 16. disertius: εἰδότες ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. NB. nisi per fidem IESU Christi. Quid dici potuit clariùs, quod magis nostram sententiam confirmaret? Si enim non ex operibus legi (exceptiones occasione datà in colloquio discutiemus) & si non nisi per fidem justificamur, tum illud consequatur necesse est, solà nos fide justificari Quippe cum particula כִּלְכֵּל (solum) in paraphrasi Syriacà expressè inveniatur addita.

LVII. Quid

LVII.

Quid? quod non rarò quoque patres hac particulâ *διὰ τὴν ἐξέσιν* fuerint usi. Iren. in præf. l. 3. f. 168. Orig. l. 3. in ep. ad Rom. f. 157. Cypr. in expos. Symb. Apost. c. 29. f. 576. Greg. Naz. in orat. *ὑπὲρ τῆς Ἐκκλησίας* f. 155. Basil. M. Hom. de humil. Hilar. in c. 8, Matth. f. 270. Chrys. hom. 5. ad Eph. item hom. 3. in ep. ad Tit. Hier. in ep. ad Rom. Tom. 9. f. 13.

LVIII.

2. *Mentiuntur fidem charitate formatam esse sive cum operibus conjunctam*, ubi deprehendimus illos non loqui improprie, sed planè ineptè. Non enim convenit ut una qualitas ejusdem generis sit forma alterius. Neque enim conceditur apud Philosophos unum accidens inherere instar formæ alteri accidenti, idq; potissimum inter qualitates. Dicitur quidem de figuris, quod quantitati accidant, cum tamen sint qualitates; sed an verè ac proprie ad genus qualitatis figuræ pertineant, videtur adhuc disputari posse. Sufficit quod ad nostrum est institutum, *unam qualitatem alterius formam esse non posse*. Taceo quod & fidem per fiduciam definiendam *ἀδοτόμως* negent, & dubitationem in locum fidei substituunt. Ubi non immeritò quaritur: *An non ad Pontificiam dubitationem de justificatione miseri peccatoris coram DEO via pateat, si de predestinatione homines dubii fiant & incerti à Calviniano?*

Pontificie in locum fidei substituent dubitationem

LIX.

Sanè cum excetrâ nobis negotium est in hoc articulo: nam ut illa olim capitum semper augetebat incremento, ita nobis difficultate aliâ sopitâ, alia semper occurrit: Sic fuis Pontificiis prodeunt mox alii, alium sed æquè invalidum arietem intorquentes *cum Photiniani tum VVeigeliani*.

LX.

Isti asserunt, fidem non solùm esse fiduciam in DEUM, sed etiam obedientiam erga legem, & ea quæ per Christum legi addita, Ubi legem cum Evangelio pessimè confundunt, quomodo cunque etiam distinguant inter opera legis, & illam, quam vocant, obedientiam mandatorum Christi, in quo cum Pontificiis scabere videntur mutuum, opera legis à fidei operibus, quæ vocant, discernentibus. Cat. Rac. p. 281.

Photiniani

C

LXI. Hi



LXI.

*Veigelia-
ni confun-
dunt caus.
instr. cum-
imp.*

Hi confundunt causam justificationis instrumentalem cum impulsiva exteriori, vocantes fidem. 1. Ipsum Christum. 2. Vitam, obedientiam & imitationem Christi. Absurdè contra omnem scripturam. 3. Blasphemè negant fidem per ministerium verbi & sacramentorum accendi & confirmari, ut ex illà salutis certitudo fluat. part. 1. post. p. 175. 2. part. p. 316. In Phil. Theol. p. 205.

LXII.

*Materia
justif. ex
quà non
datur.*

Materia ex quâ exquisitè & strictè loquendo justificationis non datur. Est enim justificatio actio, cujus non datur substantialis materia.

LXIII.

*Materia in
quâ.*

Materia in quâ seu subjectum statuimus esse homines, primum quidem non præparatos, aut ulla merita adferentes, sed peccatores & impios Rom. 4. 5. deinde credentes Rom. 3. 22. qui tamen considerantur primò secundum naturæ corruptionem & legis execrationem; postmodum secundum gratiam & Evangelicam consolationem; illo respectu accusantur, hoc absolvuntur.

LXIV.

*Brunfelsius
dicit Chri-
stum etiam
pro Angelis
& demoni-
bus esse
mortuum.*

Labitur ergò Otto Brunfelsius, qui in Pandect. suis Theologicis, Argentorati Anno 29. supra sesquimillesimum excusis p. 16. disertè Christum etiam pro Angelis & demonibus mortuum esse scribit, referente Hutt. in LL. p. 472.

LXV.

*Pontificii
rectum sub-
jectum non
constituunt.*

Pontificii etsi concedant hominem justificationis subjectum esse, attamen talem, requirunt hominem, qui ex viribus liberi arbitrii semetipsum possit disponere ad recipiendum justificationem, imò ita se preparare, ut DEUS si non ex condigno, ex congruo tamen teneatur, ipsi retributionis loco impertire justificationem. Concil. Trid. Sess. 6. Can. 6. Bel I. de just. c. 2. Becan. Tom. 1. p. 268. Constat, inquit, gratiam justificantem existere in animâ hominis justis tanquam in subjecto. At questio est, anima sicut est subjectum, sic etiam sit causa materialis respectu gratiæ inherenti. Ubi negat totum hominem esse subjectum, sed tantum concedit solam esse animam. Vide illum quoque de justif. Cathol. c. 3. q. 6. p. 449.

LXVI.

Neque hic quiescunt Calviniani. Zwinglius namq; lib. contra

tra Catabapt. Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Numam, Catonem, Scipionem salvatis annumerandos statuit, quem cum Tigurinis Theologis Sohnius in Exeg. A. C. p. 892. ita excusat, quòd nunquam Zwinglius hoc senserit, quod unusquisque religione sua ac fide, qualis ea cuiusque sit, salvetur, aut quòd Ethnici ac impii homines in ignorantia ac impietate perseverantes salutem consequantur: sed quia illorum Ethnicorum, de quibus dicit, religio, pietas & virtutes eximia ab Augustin. lib. de civ. DEI. l. 18. c. 47. predicantur. sperasse, quòd DEUS, qui tanta eis dona concessisset, non subtraxerit divinam gratiam, ut inspiratione divinam per Christum servarentur. Cui applaudit Pareus in Iren. c. 24. Ast quæso mi Sohni, unde fides potuit enasci de Christo in illorum animo? quomodo radices agere?

Zwinglium
Socr. Aristid. etiam
salvatis annumerare
fuit ausus.

LXVII.

Forma justificationis duabus absolvitur partibus, quarum prior gratuitam peccatorum remissionem; posterior verò imputationem ipsius justitiæ sive obedientiæ Christi continet. Illa dicitur in scholis *σεντικη* seu *privativa*, quam alii vocant imputationem negatam: Hæc *θετικη* dicitur seu *positiva*, quin alii vocant imputationem affirmatam.

Forma duabus partibus absolvitur.

LXVIII.

Estque illa, ut clariùs loquamur, rei quæ in homine existit, & imputari deberet, non imputatio, & consistit, tum in oblivione & non annotatione peccati, tum in dimissione reatus: Hæc quando nobis justitiæ imputatur, ejus est rei, quæ in nobis non existit attributio, ac si in nobis existeret, quando nos Deus pro verè justis (qui tamen non sumus) habet.

LXIX.

Non autem hic moramur Romanenses, formam fingentes justitiam quandam inherentem & infusam Bellar. lib. 1. de justif. c. 2. Conc. Trid. s. 6. c. 7. Optimè enim novimus, fidem non justificare quatenus qualitas aut virtus est: sed quatenus (ut etiam ante diximus) relative se habet & apprehendit Christum cum illâ obedientiâ, quâ legi pro nobis satisfecit. Hanc *δύναμις* relativam sive apprehensivam, homini inesse posse non nisi infusâ qualitate qui affirmat, hellebo-

Romanenses hic Philosophantur.

helleboro opus habet, caput ut perpurget. Præterea ἀτοπὸν est & absurdum ab humanis ad divina, à justitiâ legis ad justitiam fidei velle argumentari. Diversa enim planè est ratio & plenè aliena, cum justii apud homines, & cum coram Deo justii censemur.

LXX.

Photiniani
& VVeigeliani
etiam causam
formalem ex toto
evertunt.

Planè quoque hanc causam formalem enervant & Photiniani & VVeigeliani. Illi, quando *unicam tantum ejus partem*, quam vocamus negativam, concedunt. Hi, quando impie scribunt. *Wey das von allen gerechten vnd frommen Christen/ das si e sich wolten behelffen vnd decken mit der imputativâ justitiâ des Antichrists/* &c. part. 1. Post. p. 137 part. 3. p. 55. Refutationem nobis claram suggerit Paulus Rom. 4. quò remittimus lectorem, solutionum fundamentis ad disquisitionem reservatis,

LXXI.

Finis duplex.

Finem tandem Bellarminus l. 2. de justif. c. 2. rectè nobiscum statuit *duplicem*, vel ratione DEI, vel ratione nostri.

LXXII.

Respectu DEI est gloria DEI, quæ respicit *partim* ejus misericordiam Eph. 1. 6. & 2. 7. *partim* ejusdem justitiam Rom. 3. 25. *Respectu hominum finis justificationis est vel generalis*, sive remotus, vel *specialis* sive proximus.

LXXIII.

Finis specialis & proximus est vel hujus vitæ vel futuræ.

LXXIV.

In hac vitâ est pietatis & sanctimonie studium Tit. 2. 12. 1. Pet. 24. *In alterâ vita, salus animarum & vitæ æternæ hæreditas ex gratiâ conferenda.* Rom. 3. 30. Tit. 3. 7. *Ut ipsius gratiâ justificati,* κληρονόμοι χάριτος καὶ ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίης.

FINIS.



94.A 7578

ULB Halle 3
002 715 147





f
sb.

1017

10/1999







ACROPOLIS 22
Doctrina Christiana
Sive
Disquisitio Theologica orthodoxa
synodalis,
DE
IUSTITIA FIDEI,
Seu quod idem,
Iustificatione hominis pecca-
toris coram DEO,
*Photinianor. Pontificior. Calvinianor. & VVeige-
lianor. Strophas potissimum monstrans.*
Proposita
IN INSPECTIONE VVEIDENSE
Auctore & Praside
LAURENTIO ANDREÆ,
S S. Th. Licentiato, Pastore & Superatten-
dente VVeidense.
Ad diem 18. Maji, horis locoq; solitis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHAN. GORMANNI, Anno MDCXXV.